

www.e-rara.ch

**Pavli Iovii Novocomensis Episcopi Nvcerini Elogia Virorum literis
illustrium, quotquot vel nostra vel avorum memoria vixere**

Giovio, Paolo

[Basel], M D LXXVII

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-132417>

Cosmus Pactius

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Cosmus Pactius.



COSMVS Pactius ex amita Leonis Decimi genitus, nobili vir ingenio, elegantiq; doctrina præditus, quum esset Florentinus Archiepiscopus, Maximum Tyrium Platonicae sectæ philosophum e Græco in Latinum scitissimè vertit. Nec in eius ingenui muneris labore cessaturus videri poterat, tanquã virtutis & pietatis amore flagrantissimus, nisi importuna mors, vix dum Leone auunculo ad Pontificatum prouecto, & optimorum consiliorum studia, & paratæ purpuræ honorem interceptisset. Hæc subinde studia Alexander germanus frater, diuerso, nec vtiq; multum felici itinere secutus est. Ad scribendas enim tragœdias ingenium appulit, eruditum hercle, sed aliquantò quàm cothurnatum poetam deceret aridiùs, quòd etiam & gracilitas ipsa totius habitus, & angustæ vocis exilitas ex viuientis fronte promitterent. Poeticam autem Aristotelis, non ineptè, vti difficilem, in Latinum verterat. Ob id tanquam ex concepta artis ratione tragœdijs incumbibat, verum adeò intemperanter, vt Græcas & ex his præsertim Iphigeniam in Latinum pariter, & Etruscum carmen vertendo, propriæ quæ inuentionis alias effundendo, quæ in theatris agerentur intetæ libidini vix modum imponeret: quanquam ab Etruscis histrionibus repudiarentur: qui exhibantis populi iudicium maximi instar periculi omnino fugiendum existimabant, quòd ea poemata versibus constarent pede vno longioribus: ex noua scilicet, ac ob id insolenti nostris auribus Græcorum imitatione, quæ numero & modo prorsus in faceto tanquam enormis, nusquam nisi Græcissantibus arrideret. Iure itaque nouæ inuentionis exemplar, nemine imitante, apud ipsum auctorem stetit atque consenuit: vsque adeò difficile est, obsoletis nitorem, & nouis authoritatem feliciter attulisse.

Latomi.

*Pactius effugit perituros Cosmus honores,
Vt sempiternos sumeret. Quid perdidit?*



VBET postremò desiderare quorundam externorum imagines, Germanorumq; præsertim, quum literæ non Latinæ modò cum pudore nostro, sed Græcæ & Hebraicæ in eorum terras Fatali commigratione transierint: ita vt eorum qui iam fato functi cæteris clariores euaserunt, veras imagines à viuis, & pari laude florentibus, efflagitare non dubitem, quando id ab humanissimis, nisi violato Musarum sacramento, frustra expectari minime possit. Quis enim nisi planè barbarus & impius, vel exiguam laudem sine piaculo defunctis inuiderit, quanquam ex peculiari sua ingenij fecunditate nullo æuo perituris? Pertinet hercle in quota parte exoptatæ laudis ad producendã vitam, in albo atque ordine præcellentium hominum recenser, agnosci que item ex vera oris effigie, ostendi que posteris in perstricta nec inutiles editorum operum censura, vnde nouam nobilitatem veluti liberali, nec sperata quadam adoptione ad cumulatum decus

decus induerint. Emicuit dudum perillustis eruditio in Ioanne Oecolampadio, sed profecto clarius & luminosius illuxisset, nisi Christianæ hostiæ sacramentum repudiasset. Eadem ferè nouæ sectæ libido Zvinglium in sacris literis apud Heluetios clarum incessit. Contigit & honestissima laus ex studio nobilium literarum Bilibaldo Nurimbergensi, cuius extant nonnulla opera ex Gregorio Nazianzeno piè translata, & Cosmographiæ liber ex Ptolemæo accuratius quàm antea traductus, & totius Germaniæ vrbium descriptiones, eruditam lucem obscuris regionibus afferentes. Quis Vadiano ex sancto Gallo Heluetiorum insigni pago, nouæ atque vetustæ Cosmographiæ curiosus, gratias non aget: quum libellum Pomponij Meleperutili commentatione ex breui & obscuro, magnum illustremque reddiderit? Miramur quoque diligentiam laboremque viro regia in aula conspicuo longè honestissimū, Cuspiniani Vienneſis, a quo ciuili quadam facundia Germanorum & Byzantiorum Cæsarum Imperia, propinquitates, stemmata, mores, atque exitus referuntur. Viget apud nos eruditi nominis autoritate Copus Basiliensis, ab exacta doctrina, felicique artis industria medicus, Francisco Galliæ regi magnoperè repetita sæpe memoria, desideratus. Suspiciamus etiam ingenium Conradi Goclenij, vertendi Græca docendique facultate, apud Belgas magnoperè celebratum. Venerantur Iureconsulti nostri Zasium ex Harudum Constantia, humani iuris intelligentia, cum exactissimis scriptoribus conferendum. Floret adhuc apud nos prædulcis & grata memoria Beati Rhenani: ex eius enim ingenij liberalitate officinaque libraria, optimarum literarum magnas opes ad nos peruenisse conspicimus. Sunt etiam in celebri fama Camerarius, Græcæ atque Latine linguæ ita peritus, vt scribendo pernobilis Ciceronis imitator euaserit: & Copernicus absolutæ subtilitatis mathematicus: atque item Albertus Crantzius, qui Danorum & Sueuorum regna ad extremum borealem Oceanum, nostris obscura, facundissimè descripsit. Sed qua demum veteri sodalicio digna pietate imaginem tuam, vt Elogio nostro coronetur expectauerim, Vrsine Gaspar Vindelice, paucis antè annis morte præpropera nobis erepte: nobiles enim poetas læto carmine, historicos verò styli grauitate superabas: sed in cumulo honestissimæ laudis, vt integer vitæ scelerisque purus, tranquillæ animi probitate periculosi officij munus feliciter adimplebas, quum Maximilianum summæ indolis adolescentem, Ferdinandi Cæsaris designati filium, patruī fortuna dignissimum, perfectis moribus ac literis erudires. Sed cur reliquos enumerare non desino, postquam inanis spei votum, infinitus eruditorum numerus interrumpit: offertur enim lætissima seges ab ipsa mirabili Germanici cœli fecunditate. Occulta hercle siderum commutatione euenisse arbitramur, vt illud cœlum, molestis Boreæ flatibus, frigore geluque damnatum, horrida dudum torpentiaque ingenia molliuerit ac excitauit. Neque enim contenti sua veterem militiæ laude, qua Martium decus Romanis gentium victoribus ereptum, stabili disciplinæ seueritate feliciter tuentur, ipsa etiam pacis ornamenta, literas, optimasque artes decoquenti Græciæ, ac Italiæ dormitanti (quod pudeat) abstulerunt. Patrum siquidem nostrorum memoria, architecti in primis, ac exinde pictores, statuarii, sculptores, mathematici, & peragutę manus artifices, ac item aquileges, septempedarii que mensores, e Germania petebantur. Nec mirum quum antea inusitatæ & portentosæ inuentionis æreas formas excudendis li-

bris, & formidanda bello ænea tormenta nobis attulerint. Sed hæc infestis seculi fortuna, non vsq; adeo illis benigna mater, & nobis immitis extitit nouerca, vt nihil omnino ex pristina hæreditate reliquerit. Tenemus enim adhuc (si fas est vel modestè gloriari, tota penè libertatis possessione spoliatis) syncerè & constantis eloquētiæ munitam arcem, qua (si castis Musis placet) ingenuus Romani candoris pudor, aduersus externos inexpugnabilis conseruatur atq; defenditur. In hac enim statione ad perenne decus, optimo cuiq; ciui intentè vigilādum erit, vt Bembo, Sadoletusq; signiferis, quod reliquum est è tanta maiorum substantia, generosè tueamur: quāquam inani miseriarum nostrarum solatio, postquam non iniquo iure apud nos conuulsa libertas interiit: qua vna proculdubio altrice studiorum, bonas artes excitari, propagariq; conspiciamus.



V V M iam confecto priore volumine, quo fato functorū imagines continentur, ad secundum non inuita Minerva peruenerim (id enim de viuis erit) censuræ periculo grauius quidem, sed ingeniorum illustrium religiosa commendatione iucundius, operæ precium existimaui, eorum nomina profiteri, quo tabulæ pictæ in nostro conclauī immortalibus dicato spectantur. Sit hæc enim delectæ sedis, & instituti operis certa nuncupatio, vt vel hinc viri elegantes, tāquam aridentis augurij læto nomine accepto suorum ingeniorum monumenta ad posteritatem æterna prospiciant, nec ideo grauatè morè gerere velint, honesta mihi pariter ac ipsis & deniq; grata omnibus expetenti. Appello enim eos, qui literarum amore voluptates abdicarunt, & bona spe diuturnæ laudis aluntur, num laudari vel à mediocribus poetis ineptum putent? Superbè quidem insaniunt, si alieng liberalitatis munera fastidiant. Idcirco mihi satis fuerit, Italos blandè ac humaniter admonuisse: neq; enim eos adeo austeros, & illiberales fore crediderim, quin imagines scitè pictas ad Musæum minimè transmittant. Quid enim inuerecundius, ne dicam agrestius admitti poterit, quàm ab exemplo tot insigniū virorum omnino discelsisse, qui hoc eruditæ benignitatis officiū leuissimè præstiterunt. Quamobrè annotata nomina subdidimus, vt qui absunt, certam se de benignè sibi relictam intelligant: si in hac florida ac immortalī corona, conspici decorum existimarint. His equidem ingenuis lusibus nostris primus vigiliarum suarum fructus prædulci libatione degustabunt. Quid enim viuenti, ac utique de ingenij virtute benemerito beatius accidere potest, quàm repræsentata alieni iudicij testificatione gloriam præsentire? Quid porro lætius atque iucundius, quàm interesse posteritati suæ, & denique Fatī inuitis mortē nō timere? quam nemo nisi anxius ante ipsum inuidiæ laceffentis euentum non timuit. Nomina eorum qui adhuc viuunt & præclara fœcundi ingenij gloria perfruuntur, hæc sunt. Imagines autem eo seriatim ordine sedem obtinent, vt dignitatem omnem, vel fortunæ vel generis, ipse vnus ætatis honos antecedar.

NOMI